





10
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PRORECTOR,
SIGISMUND IACOBVS
BAVMGARTEN,

S. THEOL. D. ET PROF. SEMINARIJ THEOL. DIRECTOR;
REGIARVM MENSARVM EPHORVS, ET ACADEMIAE
SCIENTIARVM BEROL. MEMBRVM,

VNA CVM
DIRECTORE, CANCELLARIO

TOTOQUE
SENATV ACADEMICO,
SACRA PENTECOSTALIA;

PROPOSITA
COMPARATIONE INTER ADSCENSIONEM
ELIAE ET CHRISTI,
CVM RESPECTV AD ILLA IPSA PENTECOSTALIA SACRA,
CIVIBVS ACADEMIAE
PIE CELEBRANDA
INDICIT.

HALAE MAGDEB.
LITTERIS HENDELIANIS.



Artus est, CIVES carissimi, nexus mutuusque respectus inter diem Adscensionis Christi in cælum, quem nuper decimo abhinc die piis ritibus in ecclesia celebrauimus, & primam noui fœderis Pentecosten, qua Spiritus sancti dona in Apostolos ceterosque Christi discipulos largiter effusa sunt. Ipse enim Saluator ac Dominus noster discipulis suis dixit Ioh. XVI, 7. *Ego veritatem dico vobis: Expedit vobis vt vadam in cælum ad eum qui me misit: si enim non abiero, Paracletus (Spiritus sanctus) non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Ex quo intelligitur, ecclesiam Christi nulla habituram fuisse pentecostalia gaudia, nisi præcessisset euectio Christi ex mortuis resuscitati in cælum. Agite igitur, & Pentecosten cum Adscensione Domini, vicissimque Adscensionem Domini cum Pentecoste, ac adeo duas festiuitates, quarum vna & tempore & causalis rationis ordine præcessit, altera vero inde effecta & subsequuta fuit, nobiscum pia mente colligate. Vt autem id fieri a vobis facilius possit, exemplo præibimus, comparaturi inuicem Eliæ & Christi adscensionem in cælum, vtramque quidem donorum Spiritus sancti feracem, posteriorem vero quam maxime.

Adscensionis quidem Christi in cælum duos nobis commemoravit prodromos Scriptura sacra V. Testamenti, ENOCHVM antè diluuium, & ELIAM, lumen illud Achabi & Iorami regum Israeliticorum temporibus fulgidissimum. De ENOCHO duo cumprimis momenta memoriæ prodita legimus: quorum vnum de eius indole ac vita est, Gen. V, 22. וַיִּהְיֶה חֲנוּךְ אֵלֹהִים, LXX. Interpretes Græci, εὐηρέστησε τῷ Θεῷ, placuit siue acceptus fuit Deo, (quomodo & a Siracide c XLIV, 6. & ab Apostolo Ebr. XI, 5. probabiliter ex versione Græca cita-

citatur) ex Chaldaeis paraphrastis Onkelofus, *ambulavit in timore Dei,*
 & Ionathan, *cultum in veritate exhibuit coram Domino,* Arab. *ambula-*
vit in obedientia Dei, b. Luth. *blieb er in einem göttlichen Leben,* & v. 24.
diemeil er ein göttlich Leben führete: omnes quidem bene, si res ipsa
 spectetur; sin Ebraicæ locutionis proprietas & pondus spectetur, omni-
 um optime verus interpret Lat. *ambulavit cum Deo,* id est, ita egit vixit-
 que, vt veluti Dei adfiduus & perpetuus esset comes, intimam cum eo
 consuetudinem habens, nec vnquam ab illo discedens. Alterum mo-
 mentorum, de glorioso Enochi exitu, ibid. v. 24. sic habet: **וַיֵּנָבֵךְ**
וַיִּלָּחֶם אֱלֹהִים & *non amplius in his terris erat, quia sumserat eum*
Deus. Ex Iudæis quidem R. Salomo Isaacides, *Iustus fuit, inquit, sed*
leuior in cognitione sua, ita vt ad impietatem relapsurus fuisset: ideoque
festinauit Deus illum auferre mortique dare ante tempus, vt in mundo
esse desineret ad explendum vitæ suæ annos. Enim vero alium longe
 nobis Enochum Moses pinxit, hoc est, firmum, stabilem & inconcussum
 pietate erga Deum; vt quem ait *trecentos annos,* ac adeo per tria inte-
 gra secula, *cum Deo ambulauisse:* idemque si nihil ultra, quam mor-
 tem Enochi, & hanc ordinariam, dicere voluisset, cur non eodem ver-
 bo **וַיָּמָת** & *mortuus fuit,* quod per totam illam genealogiam de ce-
 teris antediluuianis cunctis adhibuerat, de Enocho pariter usurus fuis-
 set? Rectius illud **וַיֵּנָבֵךְ** LXX. & cum his Apostolus Ebr. XI, 5. expo-
 suerunt, **ὃς ἔχ' εὐλαβήθη,** & *non inueniebatur,* vtut diligentissime (quod
 ex analogo Eliæ exemplo colligere licet) a suis quæsitus; Latinus
 Vulg. & *non adparuit,* i. e. nullibi in his terris conspiciendus fuit am-
 plius; quomodo & B. Luth. *war nicht mehr zu sehen,* siue vt Io. Cleri-
 cus vertit, *neque fuit deinde,* locutione ex Liu. lib. I. c. 16. desumpta, vbi
 similem, siquidem vera fuisset Romuli historia, decessum his descripsit
 verbis: *nec deinde in terris Romulus fuit:* clarissime vero Chaldaeus Io-
 nathan, & *ecce! non fuit* (i. e. esse desit) *cum incolis terræ.* Alterum
 item illud Prædicatum, **וַיִּלָּחֶם אֱלֹהִים** **כִּי**, optime ad τὰ περὶ ἐξεί-
 μενα totius narrationis reddiderunt LXX. Græci, *ὅτι μετέθνηεν αὐτὸν ὁ*
Θεός, quia transtulit eum de terra in cælum Deus: quo & Siracides c.
 XLIV, 16. respiciens, de Enocho scripsit, *Μετέθνη ὑπόδειγμα μετανοίας*
ταῖς γενεαῖς, translatus est, exemplar penitentiae futuri ætatis; idem-
 que c. XLIX, 14. *Ὅδὲ εἰς ἐκτίθη ὁσὸς Ἐνώχ ταῖς ἐπι τῆς γῆς, ὃ γὰρ*
αὐτὸς

*ἀὐτὸς ἀνελήθη ἀπὸ τῆς γῆς. Nullus (in antediluvianio mundo) creatus est talis super terra, qualis Enochus, ut qui in cælum transfumtus est de terra: Onkelofus item, quia non mori fecit eum; pleniusque Ionathan, quia subtractus fuit, adscenditque ad cælum in sermone coram Domino, & vocatum est nomen eius, METATRON *) scriba magnus. Is igitur Enochus, cum teste Iuda epist. v. 14. prophetauerit, dicens; Ecce, venit Dominus in sanctis millibus suis, facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, cet. ob hæc singularissima phænomena ne ethnicis quidem ignorus omnino mansit, vtut admixtis quibusdam fabulosis deformatus. Stephanus enim Byzantinus de Urbibus sub voce Ἰερόνων, Perhibent, inquit, quendam existisse ANNACVM, (is autem Enochus est) qui ultra trecentos annos vixit. Qui autem circumbabitabant, (antediluvianii homines) oraculum consulentes, responsum tulerunt, quod illo mortuo, (potius, ad cælum euecto) omnibus esset moriendum. Hæc cum Phryges audiuisent, vehementer lamentabantur: vnde natum prouerbum, DE ANNACO PLO-RARE, quod dicitur de illis, qui valde commiserentur. Nam sub Deu-catione (Noacho) cum esset diluuium, omnes interierunt.*

Sed alter Christi in cælum adscendentis prodromus ELIAS, cuius illustria facta & Regum libri, 1 Reg. XVII, XVIII, XIX, 2 Reg. I, II, & Si-racides c. XLVIII, 1-13. celebrant, si ex connexo, hoc est, ex donis Spi-ritus sancti in ministrum suum, deinde successorem, Elisæum collatis spectetur, propiore vtique similitudinis gradu Dominum nostrum con-tingisse censendus est: dignus proin, cuius adscensioni in cælum, cum respectu ad pentecostalia quæ nunc agimus sacra, paulo pressius infi-stamus, comparantes eam cum ipsius Domini adscensione. Agite igitur, carissimi CIVES, consideremus ante omnia actum adscensionis ipsam

*) De nomine מֵטַרְטָרִים & מֵטַרְטָרִים videatur Io. Buxtorfii Lex. Chald. c. 1191. sqq. Est Lat. metator, significans designatorem hospitii, qui præparandi diuersorii causa præcurrit, & qui locum castris designat. Eius autem nominis mensuram expleuit Enochus quodammodo, sed multo magis Enochi in cælum eue-cti antitypus Christus, qui Ioann. XIV, 2, 3. discipulis ait: In domo Patris mei mansiones multe sunt; sin vero minus, dixissem vobis: quia vado parare vobis locum. Et si abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. Pulchrum metatorem!

ipsum tum Eliæ tum Christi, deinde vero vtriusque *μεγεθύνω*, & hæc primo antecedentia, dein concomitantia, tum consequentia.

multa Actus ipse, quo tum Elias tum Christus viui in cælum euecti sunt, vocatur partim *אֲרִיבָה*, *adscensio*, & hoc vel absolute, vel cum adiecto *in cælum*; partim *אֲרִיבָה*, *ἀνάληψις*, *susceptio*, *adsumptio*, & hoc itidem vel absolute, vel cum adiecto, siue *a te* & *a capite tuo*, siue *in cælum*. De Elia legitur 2 Reg. II, 1, *Factum est, cum leuare (proprie, ascendere facere) vellet Dominus, Eliam per turbinem in cælum*, iterumque y. 11. *Et ascendit Elias per turbinem in cælum*: item v. 3. 5. *Numquid nosti, quod hodie Dominus (אֲרִיבָה) suscepturus seu transsumpturus sit dominum tuum a capite tuo*, siue vt legitur v. 9. & 10. *a te*; illud quidem, cum respectu ad ritum scholarum, quo qui ex cathedra docent, sublatius, dicentes vero depressius & velut ad docentium pedes sedent, coll. Act. XXII, 3. Quamuis autem Elias in hac translatione analogum mortis passus fuerit, secundum illud quod Paulus de fidelibus nouissimo die superstitibus futuris dicit 1 Cor. XV, 51. *Omnes quidem non obdormiemus, somno mortis, omnes vero immutabimur, in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba: canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur*: mortem tamen ipsam, vt ex tota sacri scriptoris narratione fit verisimile, neutiquam subiit; qua de re adeundus Iac. Guffetius in Comment. linguæ Ebr. p. 443. a. Quo magis mirum euadit, Dau. Kimchium in Comment. ad l. c. 2 Reg. II, 1. scribere potuisse: *Ventus turbinis Eliam leuauit de terra in aerem; nempe vt tollit res leues, ita sustulit eum, ex voluntate Dei, vsque ad vorticem ignis: ibi vero combustæ sunt vestes eius præter pallium, quod decidit; quin & consumpta sunt caro eius & ossa: spiritus vero ad Deum rediit*. Recte tamen is addit: *Sed sententia vulgaris, etiam doctissimorum nostrorum interpretum, hæc est, quod receperit eum Deus in hortum Edenis cum corpore ipsius; quod nempe, vt fuit Adamus hominum primus, antequam peccauisset, ita & Enochum eo ingredi fecerit*. Terminus, ad quem euectus susceptusque fuit Elias, semel iterumque vocatur *cælum* 2 Reg. II, 1. II. *cælum* puta beatorum, in quo completur illud Psal. XVII, 15. *Ego vero in iustitia videbo faciem tuam, Domine, saturabor, cum ex mortuis euigilauero, specie tua*. & 1 Ioh. III, 2. *Nondum adparuit, quid futuri simus*:

scimus vero, quod, cum adparuerit, similes Deo futuri simus; quoniam videbimus eum sicuti est. Audiendi igitur non sunt doctores Talmudici, qui in tr. Succa f. 5. a. Eliam proxime quidem ad cælum, non vero in ipsum cælum sublatum esse dixerunt: forte ex eo, quod ante Messie aduentum personam Eliæ, ex male intellecto vaticinio Mal. III, 23. 24. in terras redituram esse crediderunt, ex cælis vero regressum in terras negauerunt. Videri quidem possent & LXX (quos vocant) interpretes eandem fouisse opinionem, utpote 2 Reg. II, 1. ⲙⲱⲩⲏ vertentes, non εἰς τὸν ἕρανόν, sed ὡς εἰς τὸν ἕρανόν, quod tanquam vel quasi in cælum ab aliquibus reddi solet: sed ὡς ante eis, ἐπὶ & πρὸς, non tanquam vel quasi, sed idem quod εἰς usque significat, emphaticumque facit pleonasmus; vt Act. XVII, 14. ὡς ἐπὶ τὴν Θάλασσαν, usque ad mare, & apud Polybium p. 30. l. 7. ὡς ἐπὶ τὸν πόρθρον, usque ad fretum, p. 77. l. 17. ὡς ἐπὶ τὸ Ἀλύβασιον, usque versus Lilybæum. Quam significationem & hic obtinere, liquet ex loco parallelo 1 Macc. II, 58. Ἥλκας - ἀνεβήθη εἰς τὸν ἕρανόν, Elias susceptus est in cælum usque. **) Iisdem verbis & adscensio Christi describitur: vt Psal. LXVIII, 19. (quem locum de Christo agere, nobis Christianis indubium facit Apostolus Eph. IV, 8. 9.) *Ascendisti in altum; ibidemque v. 34. qui vebitur in cælis calorum; & Psal. XLVII, 6. Adscendit Deus in iubilo; Psal. CX, 6. Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris Dei (in cælum); Luc. IX, 51. dum complerentur dies adsumtionis (τῆς ἀναλήψεως) eius; c. XXIV, 51. recessit ab eis, & ferebatur (ἀνεβήθη) in cælum; Act. I, 9. ἐπῆρθη, eleuatus est; v. II. Hic Iesus, qui adsumtus est (ἀνεβήθη) a vobis in cælum; & 1 Tim. III, 16. adsumtus est (ἀνεβήθη) in gloria. Quæ locutiones omnes & singulæ adscensum triumphantis eumque gloriosissimum norant.*

Consideremus nunc & inuicem comparemus adscensionis Eliæ & Christi circumstantias seu τὰ περιεχόμενα, & hæc quidem ANTEGRES-

*) Hoc si teneatur, opus non erit cum Celeberr. Auctore Programmatris pascalis Academiæ Göttingensis A. 1742 pag 10 statueret, interpretes Græcos scripsisse, ὡς (vt sit idem ac εἰς) τὸν ἕρανόν in cælum, deinde cum interpretationis causa margini adiectum, fuisset εἰς, hoc vna cum illo ab imperito librario in textum receptum fuisse.

sa. Spectat huc primo, quod adscensio ELIÆ, priusquam fieret, per diuinam reuelationem præuisa fuit cum Eliæ ipsi, tum eius ministro Elisæo, tum prophetarum filijs Bethelensibus & Hierichuntinis. De his maxime, quod diximus, liquet, utpote qui tum Bethela tum Hierichunte egressi, Elisæo dixerunt: *Numquid nosti, quod hodie DOMINUS sublaturus sit dominum tuum a capite tuo?* 2 Reg. II, 3. 5. Elisæum vero illum præuidisse casum, non inde solum colligere licet, quod ter monitus ab Elia, ut Gilgalæ primo, dein Bethelæ, tum Hierichunte maneret, constanter renuit, dicens: *Viuit Dominus, & viuit anima tua, quod non derelinquam te*, v. 2. 4. 6. sed ditertius quoque ex responso, quod dedit prophetarum filiis: *Et ego noui, filete*, v. 3. 5. Sed & Eliam, quid sibi euenturum esset, præsciuisse, haud obscure ex eo colligimus, quod, etsi Gilgala Bethelam, Bethelaque Hierichuntem, & Hierichunte ad Iordanem tendens, casum hunc sibi imminentem dissimulasser, tamen simul ac Iordanem pallio suo fissum transiisset, & ad locum translationi suae destinatum peruenisset, remoto velo, Elisæo dixit: *Pete, quid me tibi facere velis, antequam tollar a te*, v. 9. De adscensione CHRISTI pari modo se res habet: ut quæ & ipsa prædicta fuit tum a prophetis V. T. Esa. LII, 13. *Exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde*. c. LIII, 8. *De angustia & de iudicio sublatus est*; Psal. XLVII, 6. *Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ*; Psal. LXVIII, 19. *Ascendisti in altum*, cet. v. 34. *Qui uebitur in caelis caelorum*, siue, ut interpres Vulg. reddidit, *qui ascendit super caelum cali*; Psal. CX, 1. *Dixit DOMINUS Domino meo: Sede a dextris meis* cet. quem locum citans & Christo adplicans Petrus Act. II, 34. pro ratione subiungit: *Non enim Dauid ascendit in caelum*: tum vero clarissime ab ipso Christo, Ioann. VI, 63. ubi discipulis: *Quid igitur, inquit, si uideritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* c. XX, 17. ubi Mariæ, *Vade, inquit, ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.*

19. Quod vero τὸν πατέρα μου antecessorum est alterum, Elias, priusquam in caelum eueheretur, ministrum suum Elisæum deambulantem secum habuit Gilgala Bethelam, Bethela Hierichuntem, Hierichunte ad Iordanem, & ab hoc per miraculum permeato in Peræam, seu

seu ultra Iordanem; ac adeo ab Occidente Orientem versus, 2 Reg.
 II, 2 -- 10. *** Pariter Dominus Iesus, cum in caelum adscensurus
 esset, eduxit Apostolos suos secum foras (extra Hierosolyman) in
 Bethaniam, Luc. XXIV, 50. hoc est, ad montem Oliueti, idque ea
 parte, qua Orientem versus & Bethaniam respiciebat, vt patet ex
 Act. I, 12. vbi post factam Christi adscensionem Apostoli reuersi sunt
 Hierosolyman a monte qui vocatur Oliueti, qui est prope Hierosolyman,
 sabbati habens iter. Hunc enim ad Orientem Hierosolymae situm
 fuisse, discimus ex Zach. XIV, 4. Tertium, quod Eliae adscensum an-
 recessit, est miraculosus Eliae cum Elisaeo per Iordanem fluuium trans-
 itus, 2 Reg. II, 8. Quale de Salvatore nostro nihil, aequae tamen ma-
 gnum, si non omnino maius, legimus, nempe peruadatam ab eo mor-
 tem, ita vt sua & Parris potentia suscitatus, saluus inde victorque e-
 merferit. Quartum, quod tum Eliae tum Christi adscensionem ante-
 cessit, est vltimum illud colloquium, Eliae quidem cum Elisaeo, Christi
 vero cum Apostolis; vtriusque de rebus spectantibus ad munus ab Eli-
 saeo & Apostolis in his terris gerendum; speciatim Christi, de missione
 discipulorum in vniuersum mundum, nunciandi euangelii causa, de mi-
 raculis per illos parandis. De priore legimus 2 Reg. II, 11. *Cumque
 pergerat, & incedentes sermocinarentur, ecce ceter. & ascendit Elias
 per turbinem in caelum.* De posteriore vero, Marc. XVI, 19. *Et Do-
 minus quidem Iesus, postquam locutus est eis, adsumtus est in caelum:*
 summam vero colloquii exposuit idem Euangelista ibid. v. 15 -- 18. &
 Lucas Act. I, 4 -- 8. Quintum antecedens est vltima benedictio, qua
 Elisaeum Elias, Christus vero suos imperiuit Apostolos. Elias cum
 ad locum adscensionis suae destinatum peruenisset, *pete, inquit Elisaeo,
 quid me tibi facere velis, antequam tollar a te, v. 9.* Eliseus igitur re-
 spondet ibid. ויהי נא פי שנים ברורך אלי. ex versione Vulg.
*Obsecro, vt fiat in me duplex spiritus tuus; & B. Luth. dass dein Geist
 bey mir sey zweyfeltig; quomodo mensuram donorum Spiritus du-*

plo

*) Adparet ex totius huius itineris ratione, Gulgalam heic intelligi non eam,
 quae inter Iordanem ab Oriente & Hierichoem ab Occidente sita est, sed
 potius illam haud procul a montibus Garizim & Ebal, Deut. XI, 29, 30. Vi-
 de C. B. Michaelis diss. de Supero & Infero §. XXVII.

pio maiorem, quam ipse habuisset Elias, postulauisset, & rigidioris sensu quadraret quod ab Elia responsum fuit ei, *Rem difficilem postulasti*, v. 10. Cum tamen, teste Apostolo Ebr. VII, 7. *sine ulla contradictione, quod minus est a meliore benedicatur, & vero sufficiat discipulo, ut sit sicut magister eius, & seruo, sicut Dominus eius*, Matth. X, 25. nec summa Elisæi erga Eliam veneratio ac modestia tam immodicum (si dicere fas est) postulatum facere admiserit: igitur rectius forte LXX. Græci: Γενθήτω δὴ διπλᾶ ἐν πνεύματι σὺ ἐπ' ἐμέ, *veniant quæso dupla* (scil. μέγ, portio non vna, sed gemina) *in seu de spiritu tuo super me*; quomodo & Ionathan, itemque Syr. & Arab. exposuerunt. Considerauit τὸ πλῆρωμα donorum Spiritus, quæ in Elia fuerant, ut massam hæreditatis, in qua si ceteris prophetarum filiis vnam, sibi contra, ceu primogenito, geminam cupit obtingere portionem: respiciens ad legem Deut. XXI, 17. *Primogenitum filium odiosæ agnoscat, ut det ei* יְרֵכָה בִּי *portionem duorum filiorum*, (sive sec. τὰς ὁ. διπλᾶ dupla) *de omnibus quæ habuerit*. Quodsi ab Elia ad Christum respiciamus, utique vultum eum a Deo Patre suo reperimus oleo letitiæ præ confortibus suis, Psal. XLV, 8. ita ut ex plenitudine eius nos omnes accipiamus, & gratiam pro gratia, Ioann. I, 16. Quid mirum igitur, si & ipse ante adscensionem suam Apostolis dixit Act. I, 8. *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & usque ad vltimum terræ*. Quid mirum, si & ipse, priusquam in cælum attolleretur, eleuatis manibus benedixit Apostolis, Luc. XXIV, 50. Quid? quod non ante adscensionem solum, sed etiam inter adscendum eis benedixit, & inter benedicendum eis adscendit: certe v. 51. dicitur, *Factum est, ἐν τῷ ἐυλογεῖν αὐτὸν αὐτὸς in benedicere eum* (inter benedicendum) *eis, disiunctus est ab eis, & ferebatur in cælum*. O pulchram imaginem adscendentis ad cælum Christi!

Aduertamus porro ad vtriusque adscensionis τὰ περιεχόμενα CONCOMITANTIA. Primum horum est, exortus repente turbo, & ingruens cum turbine nubes, curru & equis igneis fulgida, ad euehendum Eliam & Christum. De illo legimus 2 Reg. II, 11. *Ecce, currus igneus & equi ignei, & diuiserunt utrumque, Eliam & Elisæum, & adscendit Elias per turbinem in cælum*: de hoc vero Act. I, 9. *Eleuatus*

B

est,

est, & nubes suscepit cum ab oculis eorum; & Psal. LXVIII, 18. 19. *Cur-
rus Dei per myriades chiliadesque multiplicati, Dominus in eis. - -
Ascendisti in altum, cet.* Intelligimus autem angelos, Eliam & mul-
to magis Christum mediante nube euehentes, & veluti triumphantem
prosequentes, coll. 2 Reg. VI, 17. vnde Psal. XLVII, 6. Christus ad-
scendisse legitur בְּהַרְוֵהָה *cum vociferatione læta, seu iubilo, certe non*
curuum equorumue, sed angelorum. Concomitans alterum fuit,
quod & Elisæus Eliam, & Christum Apostoli adscendentem viderunt;
testes iique ἀντιόχῳ vtriusque ascensionis futuri. De illo narratur
2 Reg. II, 11. 12. Ascendit -- Elias per turbinem in cælum, Elisæus
autem videbat. Num & ceteri prophetarum filii, qui cis Iordanem
& eminus steterant, viderint, saltem distincte & clare, nobis qui-
dem non liquet; testari tamen & hi poterant cum ex antecedentibus
tum ex consequentibus, Eliam non mortuum, sed viuum in cælum
fuisse raptum. Elisæum vero hoc spectaculum videre, multum eius
intererat, vt cui Elias sub condicione pollicitus fuerat v. r. Si vide-
ris me, quando tollar a te, erit tibi quod petiisti; si autem non videris,
*non erit. ****) De Christo & Apostolis itidem Act. I, 9. Videnti-*
bis illis (Apostolis) eleuatus est Iesus: nempe quia testes debebant es-
se Christi, vt generatim, coll. Act. I, 8. ita & speciatim adscensionis
illius. Tertium concomitans fuit pallium Eliæ ab adscendente illo
decidens, quod Elisæus leuauit, leuatumque postmodum adhibuit ad
diuidendum Iordanem 2 Reg. II, 13. Tale quid non quidem legimus
de adscendente Christo: recogitemus vero in locum illius passas
Christi ex nube manus ad benedicendum suis, a quibus disiungeba-
tur, discipulis; quæ benedictio pallio quouis Eliæ longe fuit præ-
stantior.

Denique reputemus CONSEQUENTIA vtriusque adscensionis *πε-*
γινόμενα. Primum illorum fuit, a parte quidem adscendentis Eliæ
clamor Elisæi, magistrum prosequentis: *Pater mi, pater mi, currus*
Israelis, & equites eius, seu vt Chaldæus Ionathan μαγιστρός, Magi-
ster mi, magister mi, qui melior eras Israelitis oratione tua quam cur-
rus

****) Adparet igitur, Eliam, cum semel, iterum tertiumque dixisset Elisæo, *Mane*
heic, quia Dominus misit me. vsque in Beth:lam cet. v. 2. 4. 6. proprie non
mandandi, sed tentandi animo id fecisse. Quales imperatiui sunt Genes.
XXII, 2. Ier. XXXV, 2.

rus & equites, 2 Reg. II, 12. a parte vero Christi, exhibitam ei adfcendenti a discipulis adorationem, Luc XXIV, 52. Alterum, Elisæus quidem scissis vestibus magistri abiturum lugens 2 Reg. II, 12. Apostoli vero, conscii promissionis a Domino acceptæ Matth. XXIX, 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*, contra gaudentes, Luc. XXIV, 52. vtut oculis in discedentem summo cum desiderio defixi, Act. I, 10. 11. *Cum intuerentur in cælum euntem illum, ecce, duo viri adstiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilei, quid statis adspicientes in cælum? Hic Iesus, qui adsumtus est a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Quæ legentes nonne & nos desiderium incessere deber, vt dicamus ore & animo: *Næ, veni, Domine Iesu?* Apoc. XXII, 20. Tertium consequens: Elisæi post susceptum in cælum magistrum regressus, primò quidem ad Iordanem, deinde Hierichuntem Bethelamque, vnde venerat, 2 Reg. II, 13, 18. 23. Apostoli vero Hierosolymam reuersi, ad expectandum ibi euentum acceptæ a Domino promissionis Act. I, 12. 13. Quartum: Elisæus, suscepto Eliæ quod ei deciderat pallio, velut simbolo externo, quo magistri successor & eius munere inuestitus esse designaretur, coll. Esa. XXII, 21. in simul spiritu Eliæ animatus, quod edito mox primo Elisæi miraculo intelligentes prophetarum filii, dixerunt 2 Reg. II, 15. *Requieuit spiritus Eliæ super Eliseum*: Apostoli vero ceterique discipuli in die Pentecostes largissimis Spiritus sancti donis perfusi Act. II, 1. sqq. ac adeo induti virtute ex alto, missa a Christo in illos benedictione Patris sui, Luc. XXIV, 49. Quintum: patrata cum ab Elisæo, tum a discipulis Christi miracula. Primum miraculorum Elisæi fuit Iordanes pallio Eliæ percussus diuisusque, vt regressuro liberum daret transitum. Etenim *leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei, reuersusque stetit super ripam Iordanis: & pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percussit aquas; *) & dixit, vbi est Deus Eliæ? **) Percussit, inquam*

*) Addunt hic versiones Vulgata Latina & LXX. viralis Græca, (saltem ex edit. Aldina & Complutensi) *& non sunt diuise*; præter textum originalem Ebraicum, & circumstantias textus.

**) Interrogatio non dubitantis, sed orantis & supplicantis, vt Deus æque atque Eliæ, mirifica virtute nunc sibi adsit: vnde Ionathan & Arab. reddiderunt: *Suscipe preces meas, o Domine Deus Eliæ.*

quam, etiam ipse ***) aquas & diuisæ sunt hac atque illuc, & transit
 Eliseus. Id quod primum fuit specimen acceptæ ab illo duplæ por-
 tionis de spiritu Eliæ, dum idem miraculum, quod magister ante ad-
 scensionem ediderat, discipulus post eam eodem modo iteravit: sub-
 secuta mox alia sunt, vt sanata Hierichuntis aquæ, v. 19. sqq. Bethe-
 lenses pueri ob illusionem puniti v. 23. 24. vt cetera prætereamus.
 De Apostolorum miraculis opus non est exponere, cum de illis li-
 ber Actuum Apostolicorum agat plenissime.

Intellexistis, vt speramus, CIVES carissimi, quæ sit inter Eliæ &
 Christi Saluatoris nostri adscensionem in cælum analogia, quod tum
 ad actum illius, tum ad circumstantias, & has siue antecedentes, siue
 concomitantes, siue subsequentes attinet; quo item nexu se habeant
 inuicem sacra ascensionalia, quæ nuper celebrauimus, & pentecosta-
 lia, quæ nunc obimus; ita vt illic quidem adscensionem vt causam
 Spiritus sancti in Apostolos largiter effusi, & in nos quoque, si capa-
 ces per Dei gratiam simus, effundendi, heic vero effusionem dono-
 rum sancti Spiritus vt consequens causale, vt fructum, vt effectum
 ascensionis Christi considerandam habuerimus, secundum illud, quod
 Psal. LXVIII, 19. velut in compendio, neruose tamen, prædictum fuit:
Ascendisti in altum, - - accepisti dona pro hominibus, seu, quod eo-
 dem recidit, *inter homines* distribuenda. Opramus igitur, vos fieri
 ac esse tales, qualis fuit tempore adscensionis Eliæ Elisæus, & multo
 magis quales discipuli Christi fuerunt, cum Dominus ad cælum eue-
 heretur: nempe cupidi participesque cælestis illius doni, quod Chris-
 tus ad Patrem vadens promeruit, & dispertiendum accepit; exoran-
 tes ab eo largam Spiritus, quo Dominus ipse secundum humanam na-
 turam præ confortibus perfusus fuit, portionem; oculis mentis, de-
 sideriis, precibusque in eum, qui cælum conscendens ad dextram Dei
 confedit, intenti, & expectantes quam ille nobis dedit promissio-
 nem. Agite ergo, & his pentecostalibus feriis, tum priuatim tum
 publice animos vestros ad vnguentum hoc sacrum a Christo obrinen-
 dum eleuate. P. P. in feriis pentecostalibus Anno cIoIocccxlix.

***) Ita explicanda verba sec. arcentus, vt אֵת הַיָּהוָה וַיִּכַּח אֶת הַמַּיִם
 sit hyperbaton, pro וַיִּכַּח אֶת הַמַּיִם אֵת הַיָּהוָה, & etiam ipse re-
 feratur ad Eliam, qui ante adscensionem idem fecerat.

99 A 6985

ULB Halle

3

002 823 829



Retro ✓







ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PRORECTOR,
SIGISMUND IACOBVS
BAVMGARTEN,

S. THEOL. D. ET PROF. SEMINARII THEOL. DIRECTOR;
REGIARVM MENSARVM EPHORVS, ET ACADEMIAE
SCIENTIARVM BEROL. MEMBRVM,

VNA CVM

DIRECTORE, CANCELLARIO

TOTOQUE

SENATV ACADEMICO,
SACRA PENTECOSTALIA;

PROPOSITA

COMPARATIONE INTER ADSCENSIONEM
ELIAE ET CHRISTI,
CVM RESPECTV AD ILLA IPSA PENTECOSTALIA SACRA;
CIVIBVS ACADEMIAE

PIE CELEBRANDA

INDICIT.

HALAE MAGDEB.
LITTERIS HENDELIANIS.

